



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.5. Monita Januario Calaritano data.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. *Itaque ab hostium insultibus ubique volu-
A. C. 598. cavete, donec pacis tabulæ confecta fue-
rint, ne hostes isto intervallo ad insidias
parandas utantur.*

§. V.

Monita Januarii Calaritano data.

II. ep. 34. **T**um S. Gregorius ad rem aliam con-
versus in eadem Epistola ob admis-
sam culpam, quam jam semel ante in eo
reprehenderat, Januarium acriter ob-
jurgat. Erat Januarius senex, simplex
imbecillus, & facile ad iracundiam mo-
bilis. Quamvis artem nesciret Cleri-
cos suos in Officio continendi, injurias
tamen impatientissime ferebat, ita ure-
tiam non nunquam ad vim adhibendam
malis consiliis incitari se sineret. Ig-
tur aliquando in hominem privatum ab-
modum commotus Die Dominica mane
e suis aliquos misit, qui illius messem
contererent, & terram aratro fulcarent.
tum Missa celebrata se ipsum illo con-
ferens positos ejusdem agri terminos to-
rui jussit. Hæc narrantibus S. Grego-
rius fidem habere non poterat; cum vi-
ro Cyriacus asseveraret, rem ita se ha-
bere, ad Januarium scripsit in hunc mo-
dum: *Etiam hac vice parco canis tuus
& exhortor te, infelix Senecio! ut
tandem respiscas, & quæ ex animi levi-
tate peccasti, emendes. Quo propior mor-*

VII. ep. I.
ind. 2.

ti es, eo magis Dei Judicium tibi timendum. Graviore animadversione digna est culpa tua, sed simplicitati tuæ & senectuti aliquid hac vice dandum, & dissimulandum esse existimamus; illos vero, quorum consilia secutus es, in duos menses excommunicatos esse jubemus.

S. Gregorius cum sine dubio emendationis indicia haberet, in altera Epistola mitius cum ipso agit, & mali originem repetens ait: *Memento, cum Episcopus factus es, te non curam rerum temporalium suscepisse, sed Regimen animarum. Id igitur unice tibi cordi sit, ut salutem tuorum consulas. De cetero scias, hæc mea monita non ex amaro animo, sed charitate fraterna proficisci, ne forte coram Deo nihil nisi inane Episcopi nomen exhibere valeas, quod tibi majoris damnationis causa esset.* Hæ Epistolæ ad Januarium Calaritanum mense Sept. Indictione secunda anno 598. datæ sunt. Elapso exinde quinquennio anno 603. Indictione sexta exeunte adhuc in vivis agebat, sed adeo infirmus, ut rebus gerendis impar esset; hinc S. Gregorius data ad Vitalem Defensorem, suum in Sardinia Mandatarium, Epistola præcipit, ut Oeconomum & Archipresbyterum Ecclesiæ Calaritanæ in illa Insula Nosocomiorum curam, quæ negligebatur, in se suscipere juberet.

G g 5

De

II. ep. 59.

Sæculum VI. *De Ecclesiis Vacantibus*, inquit in illa Epistola, ad Fratrem nostrum Januarium scripsimus, ut illis Episcopos det, ea tamen conditione, ne omnes ex sua Ecclesia ad id muneris eligat, tunc enim illa civitas sibi utilissimis privaretur. Qui aliquam culpam admiserunt, cum essent Monachi, non constituentur Abbates, nisi post peractam pœnitentiam; nihilominus, si sincera fuerit emendatio, munus suum servare possunt.

Scripsisti quoque, Fratrem nostrum Januarium, sæpe tempore, quo Sacrificium celebrat, tanta dolorum vi premis, ut vix post moram longam interruptam Canonem profèqui valeat; hinc aliqui dubitare, an illud, quod consecravit, sumere liceat. (*) His respondendum, ut sine animi hæsitatione communicent, quia celebrantis infirmitate Sacri Mysterii Benedictio non profanatur. Sed Frater noster privatim monendus est, ut quando male habet, in publicum non prodeat, ne despicabilem se reddat, & pusillis scandalum det.

S. VI.

(*) Supervacaneum & ridiculum fuisset hoc dubium, nisi Fideles credidissent, per Verba consecrantis Sacerdotis sub speciebus panis & vini revera Christi Corpus & Sanguinem poni, & non poni, nisi Sacerdos verba Consecrationis rite pronunciaret.